



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

Praetermissi Et In Alios Dies Relati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

PRAETERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Abrani. *Vid.* Seltia.

Alberonem II^{um} abbatem Dunensem inter illustres huius monasterii viros refert Carolus De Visch (1), qui beatum illum nuncupat. Vix pluribus eum memorat Nivardus Van Hove in Vita S. Idesbaldi (2). Inter beatos etiam recensetur in Menologio ab Henriquez (3) et in Calendario Cisterciensi (4). Cultus tamen indicium nusquam apparet.

S. Alpini Catalaunensis episcopi translatio, de qua iam diximus (5), in missali Senonensi saec. XIV hodie commemoratur (6).

Antonini lapicidae, cuius elogium legitur hodie in synaxariis (7), Acta dedimus ad diem 2 septembris.

B Artemonis solum nomen hodie in synaxariis occurrit (8), ubi et Arlemon episcopus Seleucia ad diem 24 martii, et alter martyr Laodiceus ad diem 8 octobris nuntiantur. Alterutrum tamen die 9 novembris recurrere non constat.

S. Atticus velut martyr Africanus hoc die in uno ex Usuardi auctariis inscriptus esse patet ab imperito librario, qui prae oculis habuit S. Attici Phrygii laterculum, 6 novembris.

B Bartholomaeum a Fabriano, confessorum ordinis Minorum apud Theatem in Apulia, annuntiat hodie Arturus a Monasterio (9), solo Marco Ulyssiponensi auctore, qui tamen Bartholomaeum minime beatum nuncupat nec diem eius mortis recollit (10).

Benchorensis monasterii nongentos monachos a barbaris Hiberniam invadentibus occisos atque in martyrum numero habendos hodie recenset Bucelinus in Menologio benedictino. De quibus ut silent Hibernorum et fasti liturgici et annales patrii, contra meminit S. Bernardus in Vita S. Malachiae: quia multa corpora sanctorum dormirent ibi (in Benchorensi monasterio). Nam ut taceam ea quae in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul una die a piratis occisos (11); ad quem locum recte monuit decessor noster I. De Backer de hac immani caede non constare (12). Mullo minus etiam de cultu ecclesiastico horum monachorum constat. Quod autem hodie a Bucelino laudati sunt, id inde factum esse crediderim quod ipso die S. Malachiam recensuit, cuius Vita in horum cognitionem adductus est.

Christophorus in synaxario (13) cum Maura, quae est Timothei socia, perperam coniungitur. Ceterum quis ille sit Christophorus nos ignorare fatemur.

Romae Chrysogoni qua de causa in brevitariis hieronymianis hodie mentio sit minime assequimur.

Romae Clementis Simproni memoria in hieronymianis ad diem 8 referenda est, et conferenda cum laterculo Depositionis Martyrum: V idus novembris Clementis Semproniani Claudii Nicostrati in comitatum. Clementem huc non pertinere nostra erat sententia (14). Recens autem reperta sunt, in coemeterio SS. Marcellini et Petri, via Labicana, rudi manu calci inscripta haec verba: + SCE CLE // // // //, quae interpretantur Sancte Clemens; his etiam lectionem Depositionis Martyrum confirmari existimant, proindeque Clementem martyribus Pannoniis, quorum unus est Simproni(anus) sociandum (15). Res non ita perspicua nobis videtur, sed attenta consideratione digna.

S. Congillae virginis in Anglia hodie meminerunt Ferrarius in Catalogo generali et Arturus a Monasterio in Gyneceo. Hanc esse dicunt de qua «Polydorus Virgilius libro 4 Historiae Anglicae»; is autem loco allato haec habet (ed. Lugduni Batavorum, 1651, p. 112): «Item optimus rex (Osuvius) condidit coenobium, quod est ad Witby pagum, ibique monachorum collegium instituit, cui praefecit Congildam sanctissimam mulierem.» Quibus iam liquet Congildam eandem esse Hildam abbatissam Streaneshalchensem, cuius historiam refert Beda, Hist. eccl., lib. IV, cap. 23; cf. lib. III, cap. 24. De illa sancta agemus ad diem natalem, qui est 17 novembris.

Crescens. *Vid.* Rogatus.

F De imagine Servatoris quae Beryti Phoeniciorum a Iudaeis crucifixa tam copiosum emisit sanguinem ut Orientales et Occidentales ecclesiae ex eo ubertim acceperint, nostrum non est dedita opera exponere. Cultus quo eam persecuti sunt Graeci pariter et Latini origines scite rimatus est Baronius in notis ad martyrologium romanum. Qui plura cupit, legat quae cum de ista tum de ceteris Christi imaginibus eruditissime disputavit E. von Dobschütz (16). Neque operae

(1) Compendium chronologicum exordii et progressus abbatae clarissimae Beatae Mariae de Dunis Ord. Cist. in Flandria (Bruxellis, 1660), p. 28-30. — (2) *Het leven, mirakelen ende wonderlycke vindinghe van het heyligh ende ongheschonden lichaem van den S. Idesbaldus* (Bruges, 1687), p. 68-70; cf. pp. 252, 277. — (3) Ch. Henriquez, *Menologium cisterciense* (Antverpiae, 1630), p. 377. — (4) *Kalendarium Cisterciense seu Martyrologium sacri ordinis Cisterciensis romanis rubricis accomodatum* (Parisiis, 1689), p. 311. — (5) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 744. — (6) *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 587. — (7) *Synax. Eccl. CP.*, p. 208. — (8) *Synax. Eccl. CP.*, p. 205. — (9) *Martyrologium Franciscanum*, p. 549-50. — (10) *Tercera parte de las chronicas de la Orden de los Frayles*

Menores del Seraphico Padre S. Francisco... nuevamente impressa por el Padre fray Luis de los Angeles (Lisboa, 1615), lib. VII, cap. 39, p. 206v. Cf. MARIANUS DE FLORENTIA, *Compendium chronicarum ordinis FF. Minorum*, ad an. 1506, ed. in *Archivo Franciscano historico*, t. IV (1911), p. 336. — (11) *Act. SS.*, Nov. t. II, 1, p. 148, num. 8 sub in. — (12) *Cf. ibid.*, p. 149, annot. g. — (13) *Synax. Eccl. CP.*, p. 205. — (14) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 753. — (15) O. MANUCCI, in *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana*, t. XXI (1915), p. 5-11. — (16) *Christusbilder, Untersuchungen zur christlichen Legenden, in Texte und Untersuchungen*, N. F., t. III (1899), pp. 174-75, 280*-283**; cf. BHG. 780-89; BHL. 4227-30; BHO. 440, 441.

A pretium est quisquilias colligere, quae virum doctissimum fugerint. Pauca tamen hic obiter annotamus, quae recentioribus studiis ad lucem primum eruta vel ex oblivione vindicata sunt. Imperatorem Iohannem Tzimisces, cum an. 974 exercitum per Syriam ac Mesopotamiam duceret, Beryti prodigiosam illam Crucifixionis imaginem reperisse eamque Constantinopolim transmisisse, non unus memorat Leo diaconus (1), sed etiam ipse Iohannes Tzimisces in epistula quam dedit ad Asolium Pancreatidam, Armeniae regulum civem suum. Armeniae haec inserta est in Chronico Matthaei Edesseni, l. I, c. 16 (2). Primum a Fr. Martin (3) et iterum ab Ed. Dulaurier (4) gallice conversa, tandem a v. d. G. Schlumberger prudenti elegantique studio examinata atque illustrata fuit (5). In his porro litteris Servatoris imaginem a se inventam refert Tzimisces non Beryti in ipsa urbe, sed in magna urbe Guël, quae Gabauton appellatur (6), id est in castro Gebaül (« Monticuli »), eo loco ubi quondam exstitit urbs Byblos. Qua aetate et quam ob causam imago Berytensis illuc translata fuisse credita sit, inquirere non valet. Ceterum res miratu digna foret et prope inaudita, si postquam ab imperatore Tzimisce veneranda imago Constantinopolim transmissa est, ea se carere fassi essent christiani Phoeniciae. Attamen inde ab illa aetate, certa eius cultus monumenta non novimus; quamquam Beryti hodieque in vulgo dicitur, quod ipsi audivimus, transfixae imaginis miraculum contigisse in aede quae hodie est janum praecipuum Mohammadanorum. Ad diem 9 novembris synaxarium Maroniticum (7) illam silentio praetermittit; neque alibi, inter varia festa Crucis, propriam huius miraculi commemorationem videtur significare. Sive epistula Iohannis Tzimiscae sive alia quadam via, Berytensis imaginis fama ad Armenios pervenit. Apud eos tamen non videtur latius increbuisse, cum in codicibus armeniis satis raro comperitur narratio de cruce Berytensi. In libro quidem « eclogiarum » bibliothecae patriarchalis ad sanctam Edsmiadsin legitur historia prodigiosae imaginis Christi, quae in tabula erat et manifesto apparuit (8); quae historia iisdem verbis exorditur atque graecus libellus: Ἐν ὁμοίῳ Τέρον καὶ Σιδῶνος (9). At de narratricula illa nihil praeterea novimus, et certe parum fuit in litteris armeniis pervagata. Saeculo XI exeunte, « Miraculum crucifixi Berytensis » hiberice conversum est

ab Ephraem minore vel iuniore (mšire), monacho D in monte Nigro prope Antiochiam: ex qua recensione, hactenus incertum est (10). Nuper tandem a P. Mario Chaîne edita est homilia de paenitentia S. Cyrillo Alexandriae archiepiscopo supposita, sermone coptico (11), in qua inter alia exempla, narratur prodigium Berytensi miraculo consimile, quod Alexandriae sedente Theophilo archiepiscopo contigisse asseveratur (12). Ex hac oratione videtur contractum fuisse elogium quod in synaxario Alexandrino habetur, ad diem 14 mesore, qui septimus est augusti mensis, et inde in aethiopicum synaxarium transiit, ad eundem diem (14 nahase) (13). Hanc narratunculam legenti patet copulam nescio quem Berytense miraculum Aegypto vindicare voluisse. Id autem inde a principio fieri poterat, si Athanasius ille cuius nomine historia crucifixi Berytensis primum inscripta est, reapse Alexandriae patriarcha fuit inter an. 817 et 825, sicut infelicissimo conatu demonstrare voluit Chrysanthus Loparev (14). Sed de quaestione quam strictim attigimus satis superque dictum est.

Cypriani Mosconi, sacerdotis Ordinis Pauperum Erenitarum S. Hieronymi et B. Petri de Pisa pretiosa mors peculiari modo in domesticis annalibus commemoratur (15). Die 7 maii 1575 natus animam die 9 novembris 1617 Domino efflavit, postquam toto vitae curriculo virtutibus castimoniae, humilitatis atque patientiae excelluerat; pergitque sanctitatis fama gaudere « colle multiplicae grazie, che concede à que' devoti, che si raccomandano alle sue intercessioni » (16). Evaserit autem popularis aura, quae inde exorta est, in cultum aliquem ecclesiasticum nos prorsus latet.

In Nicomedia Damiani annuntiatio est martyrologii hieronymiani, plane singularis.

Demetrius. Vid. Rogatus.

Dethmarum confessorem, nullo verbo addito quo dinoscatur, hodie in sua editione Usuardi in scripsit Grevenus. Non paucos equidem novimus Dethmaros, Dilmaros, Thietmaros et.; at nullus inter illos sanctitatis nomen adeptus esse videtur praeter quam presbyter ille de quo ad d. 17 maii, t. IV, p. 41-43.

Donatus. Vid. Rogatus.

Drosis sancta martyr, quam in martyrologio suo nominat Sliba ad diem 9 mensis canun posterioris (i. e. novembris) (17), non alia videtur atque sancta Drusina, Graecis dicta Δροσίς vel Δροσινή, quae in martyrologio hieronymiano die 14 de-

(1) Ed. Bonmensi, p. 166-68; cf. C. B. HASE annotata ad hunc locum, *ibid.*, p. 491 (uterque locus hic a Dobschütz allatus, t. c., p. 174, annot. 3, pertinet ad expeditionem Nicephori Phocae). — (2) Armeniae ed. Hierosolymis, 1869, p. 23-32. — (3) In *Magasin Encyclopédique*, sept. 1811, p. 22-34, ubi eam legit C. B. Hase. — (4) *Chronique de Matthieu d'Édesse (962-1136)*, in *Bibliothèque historique arménienne* (Paris, 1858), p. 16-23. — (5) *L'Épopée Byzantine à la fin du dixième siècle*. Jean Tzimisces (Paris, 1869), p. 283-90. Utrum hae litterae Armenii ad Armenium graece scriptae sint an utriusque nativo idiomate, nobis non liquet. Vid. *Anal. Boll.*, t. XL, p. 295, annot. 2. — (6) MATTHAEUS EDESSENSIS, t. c., p. 30. — (7) Bibliothecae Vaticanae, ar. 621, caršunice i. e. arabice syriacis tamen litteris. — (8) Vid. Iacob. KARENTANTZ, *Index praecipuus chirographorum bibliothecae sanctae Sedis Edsmiadsin* (Tiphlisii, 1863; armenice), p. 57,

cod. 888⁸⁵. — (9) BHG. 785, BHO. 440. — (10) *Sermon sur la pénitence attribué à Saint Cyrille d'Alexandrie*, in *Mélanges de la Faculté Orientale de Beyrouth*, t. VI (1913), p. 493-528. — (11) L. c., p. 510-18. — (12) Utrumque habetur apud CHAÏNE, t. c., p. 520-26. — (13) *Svjatij Athanasij II, patriarkh aleksandrijskij (817-825 ?)* in *Vizantijskij Vremennik*, t. XV (1908), p. 287-99; *ib.*, Ob avlorè Viritskoj legendy, *ibid.*, t. XX (1913), p. 100-103. Cf. *Anal. Boll.*, t. XXX p. 370-71. — (14) C. KEKELIDZE, *Monumenta Hagiographica Georgica*. Pars prima: Keimena, t. I (Tiphlisii, 1918), p. xx. Apographa hibericae huius versionis habentur in codice coenobii Gelathensis 8, fol. 51^v-59^v, et in codicibus musei Ecclesiastici Tiphlisensis 162, 276 (*ibid.*, ann. 15). — (15) *Act. SS.*, Jun. t. III, p. 546. — (16) *Bibl. Regia Bruxellensis*, Collectanea Bollandiana, Ms. 8936-38, fol. 178. — (17) *Anal. Boll.*, t. XXVII, pp. 141, 167.

A *cembris annuntiatur* (1): quo etiam die memoriam eius indicant nonnulla Syrorum Iacobitarum calendaria (2). De hac cf. BHG. 566; BHO. 265. Plerique orientales eam memorant sive die 22 martii sive die 22 septembris. Solo igitur hominis perquam indiligentis errore factum est ut hodiernus etiam dies eidem indiceretur.

Elisaeus propheta ex die 28 novembris, qui in Graecorum synaxariis ei assignatur, ad 9 eiusdem mensis ascendit, in quibusdam Syrorum Iacobitarum calendariis, nulla, quam noverimus, causa. Vide, exempli gratia, Sliba (3) et calendarium Berrhoense saeculi XVI (4). Maiores nostri de illius festo egerunt ad diem 14 iunii (5).

Erponem al. Erphonem, episcopum Mimmigernefordensem seu Monasteriensem decimum septimum (1085-1097), hodie obiisse constat ex Libro Rubeo et necrologio Sancti Mauricii, qua in ecclesia et sepultus est (6). Diem 10 indicant necrologia Transaquense (7) et Hildesheimense (8), diem 11 necrologium ecclesiae maioris (9), 8 vero necrologium Liesbornense (10). Sanctus a nonnullis nuncupatur ut a W. Rolewinchio (11), a M. Strunchio (12) aliisque quos inter eminent A. Boichorst qui ad eius vindicandam sanctitatem librum scripsit (13). Nec desunt cultus indicia quae Boichorstius operose collegit. Ita reperta est in eius sepulchro pars lapidis antiqui cum hac inscriptione quam vetustissimam dicunt: Sanctus Erpho. In ecclesia Mauriciana erectum est ei sacellum et altare, ut scriptum est in huius collegii libro Rubeo: Anno Domini MCCCXLVII erectum est altare in sacello divi Erphonis episcopi fundatoris collegii nostri secundi et consecratum in honorem B. Bartholomaei apostoli, SS. trium regum et Erphonis praedicti. De oblationibus fidelium ad eius altare fieri solitis, haec idem liber habet: Quidquid beato Erphoni in aere seu denariis, cera, lino, luminibus aliisque rebus offertur, fideliter sub iuramento suo fidelitatis praesentabit, illi ex dominis nostris cui praedictum sepulchrum fuerit commissum (14). Notandum tamen est eiusdem nomen in fastis ecclesiae Monasteriensis desiderari, nec de missa vel officio in eius honorem unquam auditum esse. Quod minus forsitan mirabitur qui recordetur Erponem ad finem usque vitae Henrici imperatoris IV partibus adhaesisse (15) et ita notatum esse inter nomina fratrum nostrorum episcoporum quae Chronico Hildesheimensi praemissa sunt: Erpo Monasteriensis episcopus in scismate (16). Mitto quae Herrandus seu Stephanus Hal-

verstadensis episcopus (1090-1102) ad Waltramum D episcopum Numburgensem scribebat, Monasteriensem episcopatum a rege pro sodomitica immunditie venditum esse (17). Hanc enim esse calumniam e studio partium et dissidiorum aestu ortam facile dabimus. Nihilominus de tempore modoque quo Erponis veneratio in ecclesia Mauriciana inceperit, maiorem lucem desideramus, neque an legitimus sit cultus ei praestitus necne videtur satis constare.

In Hellesponto sanctae Eusebiae virginis legitur apud Greenum (18), ceteris et maxime Graecis altum servantibus silentium.

S. Eustachius et socii, qui 20 septembris et multis in locis 2 novembris coluntur (19), in libris Burdigalensibus et Senonensibus hodie quoque occurrunt (20).

De Euthymio et Neophyto, conditoribus monasterii Athonensis τοῦ Δοχειαρίου, epitomen habemus neo-graecam, ni fallor, deductam e Vita proliviore (21), quam si aliquando reperire contingerit, edemus in Analectis nostris. Interim lege quae scripta sunt in Anno ecclesiastico graeco-slavico (22).

Falbater. Vid. Seltia.

Faustus, Ianuarius et Marcialis martyres in Spaniis, qui hodie nuntiantur in cunctis exemplaribus plenis martyrologii hieronymiani, in aliis martyrologiis antiquis ad d. 28 septembris, in aliis autem atque etiam, etsi non concinne, in ipsis hieronymianis ad d. 13 octobris sunt inscripti. Ad quem diem de his egit Byeus noster, Oct. t. VI, p. 187-93.

S. Floscelli martyris translationem in ecclesiam Sanctae Mariae Belnensem (Beaune, dép. Côte-d'Or) anno 1265 peractam hodie commemorat illius ecclesiae martyrologium, etsi die 10 fiebat de hac translatione officium liturgicum (23). De Floscello actum est ad d. 17 septembris, t. V, p. 478-82.

Gamasus = Damianus (24).

Georgium episcopum Aniciensem multis hodie laudat Saussais in Martyrologio Gallicano. Quem a die 10 novembris, qui ipsi sacer est, non ex libidine transtulit. Sunt enim codices, ut est F martyrologium Claromontanum (cod. Paris. lat. 9085), qui S. Georgium V idus novembris annuntiant (25).

Georgius Napper (al. Napier), sacerdos, inter 261 anglos martyres recensetur quorum beatificationis causam S. Rituum Congregatio decreto diei

(1) Cf. H. DELEHAYE, *Les origines du culte des martyrs*, p. 230. — (2) Inter haec, duo calendaria coenobii Qemestrin, de quibus infra *Patres qui Edessae in fluvio praefocati sunt*. NAU, *Patrologia Orientalis*, t. X, 1 (1912), pp. 31, 36. Alia, ibid., pp. 68, 116. — (3) *Anal. Boll.*, t. XXVII, pp. 141, 167. — (4) NAU, *Patrologia Orientalis*, t. X, p. 65. — (5) *Act. SS.*, Iun. t. II, p. 784-86. — (6) H. A. EHRHARD, *Regesta historiae Westphaliae*, n. 1279. — (7) J. FICKER, *Die Münsterschen Chroniken des Mittelalters* (Münster, 1851), p. 18. — (8) *Vaterländisches Archiv des historischen Vereins für Niedersachsen*, 1840, p. 108. — (9) FICKER, t. c., p. 349. — (10) FICKER, t. c., p. 18. — (11) *De Westphalorum moribus* (Ubiurum Coloniae, 1602), l. III. — (12) STRUNCK-GIEFERS, *Westphalia sancta* (Paderborn, 1854), p. 168. — (13) *Vita S. Erphonis Mimmigernefordensis aut Mimmigernefordensis nunc Monasteriensis episcopi*,

Monasterii Westphaliae, 1649, 96 pp. — (14) BOICHORST, t. c., p. 76. — (15) Cf. K. LOEFFLER, *Die Westfälischen Bischöfe im Investiturstreit* (Paderborn, 1903), p. 18-25. — (16) *M.G.*, Scr. t. VII, p. 848. — (17) *M.G.*, Libelli de lite, t. II, p. 289. — (18) SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 663. — (19) *Act. SS.*, Sept. t. VI, p. 106-137; Nov. t. I, p. 417; *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 713. — (20) *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717. — (21) C. DUKAKIS, *Μέγας Συναξαριστής*, Novembr., p. 220-22. — (22) *Act. SS.*, Oct. t. XI, p. 274. — (23) Vid. Ph. VOILLERY, *Étude sur S. Flocel*, in *Bulletin d'histoire et d'archéologie religieuses du diocèse de Dijon*, t. IV (1886), p. 25. Cf. etiam editionem Usuardi a Sollerio paratam, p. 663, et *Act. SS.*, Sept. t. V, p. 479, num. 6-7. — (24) SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 663. — (25) QUENTIN, *Les martyrologes historiques*, p. 230.

- A 4 decembris 1886 introduxit. Maiestatis damnatus eo quod sacerdotium in catholica religione suscepisset et in Anglia contra leges moraretur, die 9 novembris 1610, suspendio necatus est, et post mortem in quatuor partes concisus. Ex diariis collegii anglo-duacensi (1) constat Georgium Napperum, Oxoniensem, in eo collegio anno 1596 ad sacerdotium evectum, ibidem « praefecti generalis humanistarum officio » functum esse, atque Antverpiae etiam aliquamdiu esse commoratum; anno autem 1603, una cum D. Richardo Jonsono, in anglicanam missionem profectum esse. Longam epistulam in qua, paulo post illius obitum, concaptivus aliquis eius fortissimi viri passionem accuratissime descripsit, reperit D. Richardus Challoner inter sacerdotis Knaresborough collectanea atque in suo opere *Memoirs of Missionary Priests magna ex parte recitavit* (2). Ferunt e discipulo Venerabilis Georgii corpore, partem aliquam, quae in urbis porta exposita fuerat ac dein in Tamesim proiecta, secundo flumine ad vicum Sandford advectam esse; ibique reverenter ex aqua eductam et ad ipsam Georgii sororem esse delatam; quae eam in horreo, quod olim militum S. Iohannis sacellum exstitit, sepelivit. Ibidem ad nostra usque tempora illae reliquiae asservari creduntur (3).
- Georgius. Vid. Rogatus.
- S. Gernadius ad hanc diem a David Cameraio (4) perperam positus esse videtur pro Geruadio. Qui cum plurimum testimonio cultus fuisse probaretur VI id. nov., Vitam eius, praemisso commentario, iamiam typis dedimus (5).
- Godefridus episcopus Lingonensis, quem decessores nostri ad d. 15 et ad d. 22 iulii ad praetermissos amandarunt, nuntiatur ad d. 9 nov. a solo Menardo (6).
- Guitonus = Vitonus.
- Helias Lingonensis apud Armenios, Tataros et Graecos apostolicus nuntius, in Anno Dominicano gallice a sacerdote Tertii Ordinis S. Dominici (7), flandrice a Dominico De Herre (8) edito, die 9 novembris nuntiatur. A ceteris biographis et in Indiculo aliquot beatorum ad calcem martyrologii Ordinis Praedicatorum iussu P. Sicci anno 1616 editi, nullus ei natalis dies assigna-

tur. Cultus testimonia variis in locis inveniri D asserunt recentiores editores Anni Dominicani (9); nos tamen nulla reperire potuimus. Heliam anno 1450 obiisse iidem significant; a pristinis tamen auctoribus (10) circa annum 1370, Ecclesiam Summo Pontifice Gregorio XI, ordinem Praedicatorum Magistro Helia regentibus, floruisse refertur.

Helladium ferunt Menaea in pace quiescisse, nec aliud addunt praeter *στίχων*; insulos.

De S. Hermenegildo monacho, quem hodie laudat Tamaius in *Martyrologio hispanico*, vid. quae scripsimus Nov. t. I, p. 6-7.

S. Hildulfi hodie meminit exemplar Usuardi Hagenoyense; in quo notum est multa fuisse perperam transposita. Vid. ad d. 8 nov., t. III, p. 746.

Honorius. Vid. Seltia.

Iacobum Alphaei synaxaria nonnulla commemorant hodie, plerique die 9 octobris (11). De eo egit Henschenius noster ad diem 1 maii.

Ianuarus m. in Hispania. Vid. Faustus.

Iohannes Garidi, Tertii Ordinis S. Francisci, E die 9 novembris 1614 « magna virtutis et sanctimoniae opinione defunctus » in sacello conventus Ubedae provinciae Belicae quiescit. Laudatur a Waddingo (12) et ab Arturo (13).

S. Kebio dedicata est ecclesia parochialis de Duloe in Cornubia, quo in pago festus dies nundinaeque habentur d. 9 nov. (14). At de S. Kebio actum est ad hesternam diem (15).

S. Leocadium senatorem, patrem S. Lusoris, cur hodie recenseat Castellanus in martyrologio universalis, non sum assecutus. Nisi illum S. Ursinus Biturigensis ad se traxerit? De eo agendum erit ad d. 14 novembris (16).

S. Lusorem laudat martyrologium Antisiodorensis anno 1751 editum, quod docet hodie nuntiari in calendariis ecclesiae Biturigensis. De eo vid. ad d. 4 novembris, t. II, p. 264-66.

S. Malachiae episcopi Connerthensis, quem hodie nuntiant martyrologia benedictina, Acta dedimus ad diem 3 novembris, t. II, I, p. 135-66.

Maldonata vidua Tertii Ordinis S. Francisci anno 1535 Belvisii in Hispania defuncta a Franciscanorum hagiographis aliis die 30 martii (17)

(1) F. KNOX, *The first and second Diaries of the English College Douay* (London, 1878), pp. 16, 33; E. H. BURTON and T. H. WILLIAMS, *The Douay College Diaries third, fourth and fifth* (= *Publications of the Catholic Record Society*, t. X, London, 1911), pp. 1, 52-53. — (2) T. II (London, 1843), p. 52-66. D. Knaresborough collectanea postea, anno 1889, a Lord Herries coempta sunt. GILLOW, *Bibliographical Dictionary of the English Catholics*, t. IV (London, 1895), p. 61. — (3) BRYAN STAPLETON, in *Publications of the Catholic Record Society*, t. VII (London, 1909), p. 388. — (4) D. CAMERARIUS Scoti *De Scolorum fortitudine doctrina et pietate... libri quatuor* (Parisiis, 1631), in calendario, ad diem; quod typis repraesentavit A. P. FORBES, *Kalendars of Scottish Saints* (Edinburgh, 1872), p. 231-43. — (5) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 855-56. — (6) *Martyrologium SS. Ord. Divi Benedicti* (Parisiis, 1629). Godefridi vitam scripserunt J. B. CORBOLIN, *Monographie de l'abbaye de Fontenay* (Cîteaux, 1882), p. 132-36, et H. J. WERM, *Gottfried Bischof von Langres* (Würzburg, 1886). — (7) *L'année dominicaine ou sentences pour tous les jours de l'année...* par un prestre du Tiers Ordre de S. Dominique,

t. II (Paris, 1670), p. 317. — (8) *Het heyligh Jaer van de Predick-heeren oorden* (Antwerpen, 1675). — (9) *Année Dominicaine*. Nouvelle édit., Novembre t. I (Lyon, 1906), p. 350. — (10) HERNANDO DE CASTILLO, *Segunda parte de la Historia general de Sancto Domingo y de su Orden de Predicadores* (Valladolid, 1592), p. 195^v; LEANDER ALBERTI, *De Viris illustribus Ordinis Praedicatorum* (Bononiae, 1517), p. 248; GIO. MICHELE PIO, *Delle vite degli huomini illustri di S. Domenico* (Bologna, 1607), p. 95; 1620, p. 37. — (11) *Synax. Eccl. CP.*, pp. 121, 206. — (12) *Annales Minorum*, ad an. 1364, num. 23. — (13) *Martyrologium Franciscanum*, p. 550. — (14) SAMUEL LEWIS, *Topographical Dictionary of England*, vol. II (1831), p. 80, col. 2; FRANCES ARNOLD-FORSTER, *Studies in Church Dedications*, t. III, p. 110; S. BARING-GOULD and J. FISHER, *The Lives of the British Saints*, t. I, pp. 204, 211; BARING-GOULD, *A Devon and Cornwall Calendar*, in *Transactions of the Devonshire Association* etc. t. XXII (1900), p. 387. — (15) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 824-29. — (16) *Cf. Act. SS.*, Nov. t. II, I, p. 265, num. 4 extr. — (17) ARBALESTE, *Vie des saints du Tiers Ordre* (1669), p. 220; BORN, *Seraphische Sternenhimmel*, p. 240.

aliis

A aliis 9 novembris (1) beatis annumeratur. Cultus tamen ne minimum quidem indicium profertur.

SS. Marcelli et Marcellini festum agi die 9 nov. in vico de Llanddeusant, Monae insulae, refert Challoner (2), auctore Browneo Wiliis antiquario (3), perperam ut videtur. Nam die 25 septembris aguntur in Llanddeusant parochialia festa quae cymrico vocabulo vulgo dicitantur Gwyl Mabsant, « festum adulescentium, seu iuvenum, sanctorum » (4). Die vero 9 novembris agitur memoria sancti Pappo Post Priten in vico de Llanbabo, cuius perpetuus vicariatus (anglice « perpetual curacy ») cum rectoria de Llanddeusant coniunctus est (5). Inde orto errore videtur esse factum ut festa quae agebantur in honorem S. Pappo Post Priten, patroni ecclesiae subiectae, ducerentur pro festis SS. Marcelli et Marcellini, principalis ecclesiae patronorum. Isti vero quinam essent ignorare se fassi sunt Baring-Gould et Fisher (6); id tamen unum constare existimarunt: cum in vico Llanddeusant die 9 novembris festum agatur duorum adulescentium, frustra se olim B interrogasse num isti SS. Marcellus et Marcellinus forsitan essent Romani pontifices quorum alter die 16 ian., alter die 26 aprilis colitur. Propensius credideris hos esse SS. Marcum et Marcellianum, iuvenes martyres, qui in plurimis martyrologiis d. 18 iunii memorantur (7). Quippe non raro factum est ut cymrica templa dedicarentur latinis sanctis, iis praesertim quorum magna erat fama. Ideo tandem arbitramur parochiae festa die 25 sept. agitari, quod haec dies dedicationis fuerit.

Mariae Deiparae commemoratio fiebat Constantinopoli ἐν τῷ Παράδεισῳ πλησίον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μωκίου (8). Dedicationis anniversariam diem esse suspicamur, quemadmodum erat eadem die dedicatio ecclesiae Beatae Mariae τῶν Προσπίων (9).

Marinum a Sancta Victoria ordinis Minorum Conventualium, dein ordinis Capuccinorum, in oppido Sancti Genesii provinciae Picenae anno 1576 defunctum, beatum nuncupant Arturus, Wadding, alii (10), unum Boverium (11) auctorem secuti, qui C tametsi beatum illum non vocat, miraculis lamen clarum in Ordinis monumentis celebrari contendit.

Mariona. Vid. Seltia.

Martialis m. in Hispania. Vid. Faustus.

De S. Matrona, quae 9 novembris die recolitur

in synaxariis plerisque et apud Metaphrasten, D diximus heri.

S. Maturinus confessor Liricantis tum in quibusdam exemplaribus Usuardi, tum praesertim in multis libris liturgicis Galliae hodie nuntiat (12). Vid. quae monuimus t. III novembris, pp. 4, 747.

Maura non Christophori, ut in synaxario legitur (13), socia est sed Timothei. Utriusque Acta dedimus ad diem 3 maii.

Maurus diaconus, in territorio Nivernensi cultus, laudatur hodie in editionibus Usuardi Lubecensi et Coloniensi an. 1490; item apud Maurolycum, in Ferrarii Catalogo generali, in Saussani martyrologio gallicano, in Castellani martyrologio universali, ubi mutato nomine dictus est Maurinus. Maurinus etiam appellatur in codice interpolato Usuardi (olim Reg. Suec. 130); in altero autem codice interpolato, qui etiam videtur pridem fuisse Nivernensis dioecesis (cf. SOLLERUS, Martyrologium Usuardi, p. LXXI, num. 239), nomen ei datum est Maturinus. Porro cum S. Maurus vel Maurinus apud Nivernenses nullo alio testimonio E confirmetur, Maturini autem Liricantis, de quo supra, cultus late in Gallia sit diffusus, haud scio an denique tandem Victorinus ille codex veram lectionem nobis servaverit.

Mecrona. Vid. Seltia.

S. Melanii Rhedonensis episcopi commemoratio ad hunc diem ex die sexto perperam transposita est in exemplari Usuardi Hagenoyensi. Vid. Nov. t. III, p. 129.

Merinatam quemdam memorat Dempster in menologio Scotorum his verbis: « Kílreuli, Merinati diaconi, sancti Damiani frater. Hic pignus unicum regni, reliquias sanctissimi Andreae cum veneratione suscepit et eodem anno excessit » (14). Auctores praetendit Hectorem Boethium, Fordanum in Scotichronico et breviarium Scoticum (maxime Aberdonense). Rem obscuram perplexamque iterum tractare non est visum, praesertim de qua iam actum fuisset fusius forsam quam oportuerat (15): quippe Merinatus cum Damiano fratre socius esse fertur S. Reguli in eo itinere quando D. Andreae apostoli reliquiae ex Achaia in Scotiam allatae esse traduntur. Nomen aliter ab aliis scriptum reperimus: Merinach (16), Marniacus (17), Merinatus (18). In breviario Aberdonensi impresso nulla fit Merinati mentio, quam quidem

(1) A. MÜLLER, *Allgemeines Martyrologium* (Regensburg, 1860), p. 567; ARTURUS, *Martyrologium Franciscanum*, p. 550. Cf. GONZAGA, *De origine seraphicae Religionis Franciscanae* (Romae, 1587), p. 953. — (2) *A Supplement to the British Martyrology*, p. 30, impressum simul ac *A Memorial of Ancient British Piety: or, A British Martyrology*, Londinii, 1761. — (3) *A Survey of the Cathedral Church of Bangor*, Londinii, 1721. — (4) BARING-GOULD and FISHER, *The Lives of the British Saints*, t. II, p. 181. — (5) OWEN JONES, *Cymru yn hanesyddol...*, t. II (1875), p. 63, col. 1. — (6) L. c. — (7) De quibus vide Act. SS., Iun. t. III, p. 568-71. De S. Pappo Post Priten nonnulla colligimus et illustramus ad hanc diem. — (8) *Synax. Eccl. CP.*, p. 205. — (9) *Ibid.*, p. 206. — (10) ARTURUS, *Martyrologium Franciscanum*, p. 549; WADDING, *Annales*, ad an. 1576, § 64; C. DE ARENBERG, *Flores Seraphici*, t. I (Coloniae Agrippinae, 1640), p. 114; HUEBERUS, *Menologium S. Francisci* (Monachii, 1698), p. 2114. — (11) Z. BOVERIUS,

Annalium seu sacrarum historiarum ordinis Minorum S. Francisci qui Capuccini nuncupantur, t. I (Lugduni, 1632), p. 805. — (12) Cf. *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717. — (13) *Synax. Eccl. CP.*, p. 205. — (14) *Menologium Scotorum* (Bononiae, 1622), ad diem; typis iterum mandavit A. P. FORBES, *Kalendars of Scottish Saints* (Edinburgh, 1872), p. 218. — (15) Act. SS., Oct. t. VIII, p. 169-75. — (16) In codice Brit. Mus. Harl. 4628, e Registro Prioratus Sancti Andreae exscripto. Unde narrationem de translatione reliquiarum S. Andreae deque primordiis episcopatus Santandreami (BHL. 437) circiter annum 1279 compositam, post Pinkertonium excerpsit W. F. SKENE ediditque in opere suo inscripto *Chronicles of the Picts, Chronicles of the Scots* etc. (Edinburgh, 1867), p. 185. — (17) IOHANNES DE FORDUN, *Scotichronicon*, lib. II, cap. 59, ed. W. GOODALL, t. I (Edinburgh, 1759), p. 95. — (18) HECTORIS BOETHII *Scotorum Historiae*, lib. VI post medium (Parisiis, 1526), fol. CVIII, lin. 42.

invenimus

A invenerimus; at fieri potuit ut fusior ea legenda fuisset in exemplo aliquo antiquo manu scripto quod Dempsterus adivit, etsi non semel auctores quos non habebat finxit Scotus ille, patriae laudator parum sincerus. Cur autem hodie huius et Turgoti episcopi (1) in Menologio meminerit, non satis perspicimus; nisi forte quod haec dies in natalibus Scotorum davorum vacaret, et incertum maxime esset quando Merinatus fata obiisset. Veremur ne Dempsterus veritatem laedere quam chartam vacuum relinquere maluerit. Donec eius testimonio aliunde auctoritas accesserit, nostra quidem sententia, de Merinati cultu non constat. Huic igitur inter praetermissos esto locus.

B. Monaldo ex ordine Fratrum Minorum, qui Summam ab eius nomine Monaldinam dictam concinnavit, cultum publicum Iustinopoli, ubi eius corpus quiescit, longo etiam post obitum tempore non defuisse testatur Paulus Naldinus, episcopus Iustinopolitanus, in Chorographia ecclesiastica, anno 1700 edita. Testis oculati et haud spernendae auctoritatis ipsa verba recitare iuvabit: Giacione qui [Iustinopoli], inquit, le sacre sue ossa, e posano in questa Chiesa de' Minori Conventuali, nella capella della Santa Penitente Maddalena, ivi trasferite l'anno mille seicento diecisetete; e sogliono annualmente esporsi alla publica veneratione il primo, ed il secondo giorno d'Agosto nel rinovarsi la solenne Indulgenza della Portiuncula d'Assisi. Sù l'arca, ch' era anticamente di nuda pietra, e nell' anno predetto si rinovò co' lavori nobilmente arricchiti, leggesi quest' iscrizione

Hic requiescunt Ossa
Beati P. Monaldi
Ex Or. Min. Con. (2).

Qui cultus, turbatis saeculo XIX ineunte rebus publicis, parumper interruptus, nostris diebus redintegratus est. Etenim cum anno 1806 ex Iustinopolitano conventu Fratres Minores expellerentur, arca B. Monaldi sororibus Sanctae Clarae eodem anno, iubente Napoleone imperatore, cum montalibus ordinis B. Augustini apud Sanctum Blasium coniunctis, tradita est. Postquam vero hoc etiam monasterium perit, a duabus e stirpe marchionum Gravisi sororibus ad domum paternam sacrum pignus delatum est, unde postea ad nobilem Appolloniorum gentem hereditario iure transiit tandemque ad ecclesiam concathedralem devenit. Anno 1901 Fratres Minoribus B. Monaldi corpus restitutum est, ea tamen lege ut in oratorio conventus interiori collocaretur. Demum anno 1904, recognitis ab ill. D. Francisco Xaverio Nagl, episcopo Tergestino-Iustinopolitano, reliquiis, arca in eiusdem conventus ecclesiam publicam die I augusti translata est et prope altare Immaculae Conceptionis B. M. V. collocata, ubi eadem denuo veneratione colitur qua ante annum

1806 gaudebat (3). Sollemnis tamen cultus approbatio a S. Rituum Congregatione adhuc desideratur. Diem 9 novembris eius commemorationi Arturus proprio Marte assignasse videtur (4). Opportune tamen monet (5) eos errare qui Monaldum nostrum a B. Monaldo Anconitano qui 15 martii 1314 Arzengae martyr occubuit, vel a B. Monaldo S. Francisci socio, Arelate quiescente, vel etiam a Monaldo archiepiscopo († 1333) non secernunt.

Quae ad cultum et historiam S. Montani, eremita apud Vivarienses, de quo hodie Castellanus et Saussaius, referuntur, nondum plene assequi potuimus. Quare ad diem 14 huius mensis, quo eius festività nunc apud Vivarienses celebris habetur, eius Acta remandamus.

S. Morocus memoratur V id. nov. in exemplo breviarii Aberdonensis saeculo XV exarato (6); at, ut plurimis optimisque auctoribus fieret satis, de eo actum est heri (7). Tandem hic praetereundum non est, quod nuperrime ex Scotica dialecto haud incallida coniectura conclusum est, sub vocabulo Moroc, quod nunc viget et apud eruditos viros in commentariis legitur, delituisse pervulgatum nomen Barrfind sive Findbarr (8). Huic nempe Barr fac praemittatur, more celtico, pronomen possessivum, postponaturque inclinamentum -óc, habebis nomen Mo-Bharr-óc; quod in ore Scotorum hominum sonat fere Mawarrock, Mowarrock, vel Maworrock; unde ad Moroc brevis et facilis transitus est.

Narses, quem synaxaria graeca postremo loco memorant in collecticia martyrum caterva, cum Onesiphoro, Timotheo, Maura aliisque (9), ipse est episcopus urbis Saharqarth cuius Acta inferius ad diem 10 dabuntur.

S. Nathanaelem illum quem verum Israelitam in Evangelio Dominus praedicavit, postea Ursinum vocatum fuisse et episcopum Biturigensem effectum finxerunt nonnulli fabulatores, quorum inventi vestigia servarunt quaedam Usuardi auctaria a Sollerio allata (10). Quos neque refutare operae pretium est. Ceterum, quisquis Nathanaelis historiam postumam doceri cupierit, Iohannem Stillingum nostrum adeat qui, ad diem 25 augusti, satis infeliciter conatus est demonstrare Nathanaelem a S. Bartholomaeo apostolo non distinguendum esse. De S. Ursino mox sequitur commentarius.

Nemesius. Vid. Rogatus.

Virduni S. Nicanus episcopi et confessoris: ita in Usuardi editione Lubecana anni 1490 et Coloniensi eiusdem anni. Nullum fuisse Nicanum Virodunensem, sed mendum esse scripturae pro Vitono, quis non videat?

Nonnus in synaxariis dicitur ille $\delta\zeta$ $\kappa\alpha\tau\acute{\eta}\chi\eta\sigma\epsilon$ $\tau\eta\eta$ $\delta\sigma\acute{\iota}\alpha\nu$ $\Pi\epsilon\lambda\alpha\gamma\acute{\iota}\alpha\nu$, videlicet episcopus Antiochenus de quo in BHG. 1478.

Omnium sanctorum Ordinis Praedicatorum festività hodie a S. Dominici alumnis celebratur. Quam a summo pontifice Clemente X die octavo

(1) Vid. infra. — (2) Paolo NALDINI, *Corografia ecclesiastica o sia descrizione della città e della diocesi di Giustinopoli detto volgarmente Capo d'Is- tria* (Venezia, 1700), p. 487-88. — (3) H. REPIČ, *De B. Monaldo de Iustinopoli (Capodistria)*, in *Archivum Franciscanum historicum*, t. I (1908), p. 231; Id. *Adhuc de cultu publico B. Monaldo Iustinopolitano praestito*, ibid., t. V (1912), p. 145. (4) *Martyrologium Franciscanum*, p. 549. —

(5) Op. c., pp. 119, 549, 604. Cf. SBARALEA, *Supplementum ad Scriptores Waddingi* (Romae, 1806), p. 547; REPIČ, op. c., t. I, p. 231-32. — (6) A. P. FORBES, *Kalendars of Scottish Saints*, (Edinburgh, 1872), p. 136; cf. p. xxxiv. — (7) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 857. — (8) Alex. MAC BAIN, *Place Names. Highlands and Islands of Scotland* (Stirling, 1922), p. 154-55. — (9) *Synax. Eccl. CP.*, p. 203-206. — (10) *Martyrologium Usuardi*, p. 663.

A augusti an. 1674 concessam varia encomia scriptaque hagiographica commemorant. Iuvat autem inter haec animum advertere ad catalogum sanctorum, beatorum ac virtute insignium virorum religiosi illius instituti, qui quodam quasi ecclesiastico cultu hactenus elati sunt vel in procinctu slant ut offerantur (1).

Onesiphori et Porphyrii qui in synaxariis nuntiantur Acta in monasterio Althonensi Hiberorum et alibi exstareasserit Nicodemus Hagiorita. Haec frustra nos expellisse fatemur. Lege quae de Porphyrio inferius dicemus.

Orestis martyris qui in synaxariis aliquot et in Martyrologio Romano 9 novembris commemoratur dies natalis est 10 huius mensis.

B. Paganum de Tornellis inter « viros Novarienses qui sanctitate florentes beati sunt appellati » laudat Carolus episcopus Novariensis his verbis: Alius fuit Paganus Tornellus iuvenis primo perditis moribus et propterea a patre viro nobilissimo exhaereditatus; mox vero insigni religione, rerum humanarum contemptu vitaeque asperitate illustris fuit; ita ut piis peregrinationibus, pauperibus iuvandis ac magis paupertati deditus, ut beatus ac divinus vir coleretur. Qui demum Assisii, quo pietatis erga S. Franciscum causa peregrinatus erat, peste interit et in ea ecclesia humatus est anno 1478. Ex quo etiam altare ad avertendam pestilentiam eius nomine dicatum scribitur anno 1524, ab iis qui sanitatis curatores Novariae erant constituti (2). Destructam an. 1552 esse ecclesiam (3) in qua hoc altare esset erectum et sic evanuisse omne vestigium venerationis B. Pagano a Novariensibus exhibitae comperimus; exstare tamen in domo Tornellorum veterem picturam B. Pagani cum hac inscriptione: B. Paganus de Tornellis de Barengo civis Novariae cuius corpus in civitate Assisii reperitur (4). Nulum apud Assisienses reliquiarum eius vestigium neque cultus monumentum, praeter altare illud a Novariensibus dedicatum, hucusque repertum est. Commemoratur ab Arturo (5), qui cum Waddingo (6), tertiaris S. Francisci illum annumerat, die 9 novembris, ab aliis 24 maii (7) et etiam 14 novembris (8), quo de eo plenius agemus dummodo certiora cultus indicia accesserint.

C Patres et fratres qui Edessae in fluvio praefocati sunt, ad diem 9 mensis tesrin posterioris memorat calendarium syriacum nuper editum a F. Nau (9) ex codice Musei Britannici Add. 14504, qui ad saeculum IX videtur referendus. Idem vir

doctus, argumento nixus non satis evidenti, existimat praedictum calendarium paulo post annum 530 syriace iam scriptum fuisse; at propius ad verum accedit cum illud compositum fuisse suspicatur in coenobio Qennešre, sive « Aquilaram Nido », ad ripam Euphratis, contra Europum; nam in eo non paucae leguntur memoriolae, quae huic coenobio et regioni propriae sunt. Quarum e numero ista est, de qua nunc agitur. Ad rem quod attinet, ex historiis notum est inter saeculum tertium et nonum, flumen Daisan, qui Edessam interfluit, quinque saltem exundasse (10). Omnium, ut videtur, gravissima fuit eluvio prima, quae accidit anno Graecorum 513, mense tesrin posteriori (novembri, an. 201), in qua amplius duo milia hominum perierunt, et Christianorum ecclesia eversa est. Huius calamitatis memoriam rex Abgar referri iussit in tabulas publicas, nec mirum est eam consignatam fuisse in martyrologio nostro, ubi etiam terrae motus aliaeque clades publicae commemorantur, ut pristinae calamitates Antiochiae ad diem 29 maii, terrae motus Paraliae ad diem 31 iulii (11), alia. Ad secundam exundationem, quae contigit mense maio an. 303, pertinet mentio Zachaei et Theodori fratrum, in flumine praefocatorum, quae legitur ad d. 24 maii (12). Neque isti neque superiores illi, de quibus quaestio huc incidit, haberi possunt in numero martyrum, quorum cultus Edessae floruerit.

Pauriliae, virginis sacrae, quam Paulus apostolus legitur baptizasse memoria recollitur apud Grevenum (13). Unde haec sumpta sint nescimus.

De B. Philippo Tudertino, quem die 9 nov. mortuum esse refert L. Iacobilli (14), iam dictum est inter praetermissos diei 8 nov., t. III, p. 748.

Porphyrius non tantum cum Onesiphoro martyre occurrit, sed et solus. Sunt enim codices in quibus Passio Porphyrii illius cuius Acta dedimus ad diem 4 novembris et in Analectis nostris (15), die 9 novembris legenda proponitur (16).

Ragnemodus (alias Raymundus) dictus Scriptor, archidiaconus Tolosanus, unus ex iis martyribus qui anno 1242 Avenioneti ab haereticis Albigenis necati sunt, et quorum Acta ad diem 29 maii nostri illustrarunt, hodie seorsim nuntiat in Castellani martyrologio universalis (17) et in martyrologio Ecclesiae Parisiensis iussu Cardinalis de Noailles archiepiscopi Parisiensis anno 1727 edito (18). Horum martyrum, anno 1886, cultum immemorabilem S. Rituum Congregatio confirmavit (19).

(1) Année Dominicaine, Nouvelle Édition, Novembre, t. I (Lyon, 1906), p. 341-58. — (2) Novaria seu de Ecclesia Novariensi libri duo, CAROLO ep. Novariensi auctore (Novaria, 1612), p. 29-30. — (3) Ecclesia S. Iohannis Evangelistae extra moenia urbis Novariae, teste I. B. PIRO, De in litem iurando (Novara, 1586), in Indice repetitio-num, i. v. Novaria. — (4) Hanc photographice expressam humanissime nobiscum communicavit R. P. Augustinus Salsa O. M. — (5) Martyrologium Franciscanum, p. 549. — (6) Annales, ad an. 1478, § 38. — (7) Vide ephemerides novarienses Lo Spigolatore (ab an. 1835), Novara sacra (ab an. 1835), Il gran Pescatore di Chiaravalle (ab an. 1873) quotannis ad hanc diem. — (8) PIETRO ANTONIO DI VENEZIA, Giardino serafico istorico (Venezia, 1710), t. I, part. 2, cap. VI, in calendario. — (9) Un martyrologe et douze ménologies syriaques, in Patrologia Orientalis, t. X, 1 (1912), p. 47. — (10) Chronicleum Edessenum, §§ I, XI, CVI; cf. L.

HALLIER, Untersuchungen über die Edessensische Chronik, in Texte und Untersuchungen, t. IX, 1 (Lipsiae, 1892), pp. 84, 93, 138. De Chronici Edesseni fontibus et fide historica, cf. etiam H. HAASE, Oriens Christianus, N. S., t. VII-VIII (1918), p. 88-96. — (11) Patrologia Orientalis, t. c., p. 41, 44. — (12) Ibid., p. 41. — (13) SOLLERUS, Martyrologium Usuardi, p. 663. — (14) Vite de' santi e beati dell' Umbria, t. III (Foligno, 1661), p. 19-22. (15) Anal. Boll., t. XXIX, p. 270-75. — (16) Synax. Eccl. CP., p. 963. — (17) Martyrologe Universel (Paris, 1719), p. 569. — (18) Martyrologium Parisiense... iuxta ritum Parisiensem Em. DD. Cardinalis de Noailles archiepiscopi Parisiensis auctoritate... editum (Parisiis, 1727), p. 346. — (19) Tolosana seu Ordinis Praedicatorum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servis Dei Guillelmo Arnaldi etc. Positio super casu excepto, Romae, 1866. In Concessionis et approbationis officii et missae. Romae, 1867.

A S. Ragnulfus martyr Telodii prope Atrebatas hodie in nonnullis martyrologiis nuntiatur, jebatque olim ipsius commemoratio Atrebatii in officio ecclesiastico (1). Eius tamen festum et in martyrologio Usuardi et in Romano et alibi (2) die 27 maii inscriptum est; ad quem diem de ipso actum est, Maii t. VI, p. 717.

Restitutus episcopus Tricastinus, de quo ad d. 7 novembris, t. III, p. 343-48, hodie in quodam missali Massiliensi saec. XV nuntiatur (3).

Restitutus. Vid. Rogatus.

Rogati, Restituti, Victoris, Salutaris, Crescentis, Demetri, Nemesi, Georgi (exuorgi codd. B, W, qui et addunt Donati) nomina sub loci indicio alibi in hieronymianis nuntiantur. Demetrius ille est, ni fallor, qui postridie primo loco ponitur; ceteri prorsus ignoti.

De Rotlando, Hasnoniensi abbate, annotationes quaedam cum ex duobus libris non designatis tum ex Tomello (4) excerptae atque a P. Petro d'Outreman ad Bollandum anno 1638 missae habentur inter Collectanea Bollandiana ad hunc diem (5).

B Sanctus ab illo solo dicitur qui lemmata addidit. Beatus etiam nuncupatur in catalogo abbatum Sancti Amandi (6), quo tamen iure non liquet.

Salutaris. Vid. Rogatus.

Dedicatio basilicae Salvatoris, quae et basilica Constantiniana seu Lateranensis, hodie in martyrologio Romano nuntiatur. Quae de huius templi a S. Silvestro post baptismum Constantino collatum consecratione feruntur libenter relinquimus discutienda seris nepotibus quibus feliciter contingat cum 31 decembris operi bollandiano finem imponere.

Seltia (Selteia), Mecrona, Mariona (Mareiona) Falbater (Fälbäter) et Abrani (Abrāni), non chorus sanctorum sunt sed umbrae nominum quae alicubi legisse sibi visus est aethiopicus interpres synaxarii Alexandrini (7). Ex quibus Seltia, nisi fictum est e Šallitā, quod apud Syros Iacobitas nonnumquam die 15 novembris annuntiat (8), nescimus quomodo intellegi possit. Est autem Šallitā nomen syro-arabicum S. Artemii (9), cuius festum a Graecis die 20 octobris agitur. Mecrona quoquo modo ad S. Matronam videtur posse referri,

C cuius mentio erratica in quibusdam calendaris ad hunc diem habetur (10). Mariona non multo longius abest ab eodem nomine. Falbater, si quid graecum sonare debebat, scriptum fuit pro Philopatre. Sed S. Philopater nullus est cuius memoria ad nos pervenerit. Abrani landem, si recte transcriptum est ab exemplari arabico, uno tantum apice distat ab Irāni, quod Irenae non absimile est. Iamvero Irene cum Philopatre coniuncta in mentem

revocat notissimum par martyrum, qui Apater et D Herais communiter appellantur (11). Agmen claudit Honorius imperator, quem Syri Iacobitae die novembris 10 commemorant (12): unde constat e quam remotis latebris haec nominum farrago collecta sit; cuius originem doceri maluissemus quam explicare.

Simpronius. Vid. Clemens.

S. Sulinum (Silio, Suliau, Syliu, Suliac, Tysilio, Tyssilio, cet.) memorat ad hanc diem catalogus sanctorum Cambrensiarum cymrice confectus ante annum 1600 (13). Qui catalogus cum in Demetarum finibus conscriptus sit, hic dies sacer fuisse videtur S. Sulino in vico de Llandyssilio Gogo (Cardiganshire) (14). At heri mentionem eius faciunt, tum Castellanus (15), tum calendaria Cambrensiarum plurima (16). De quo dicendum fuisset, nisi decessor noster Iohannes Stillings iam syllogem edidisset kal. oct. (17) (hic enim ei festus est dies in Armorica), in qua, post duo circiter saecula, non mirum videbitur pauca quaedam expungenda esse, nonnulla immutanda, plura addenda. Qui igitur hodiernae eruditionis sententiam doceri E volet, amandari se a nobis patiat ad industrios illos viros et sagacissimos antiquitatis indagatores S. Baring-Gould et J. Fisher (18); quorum tamen dum copia et diligenti labore fruitur, singula probare et examinare ne omittat.

Symeonem Metaphrasten hodie nuntiant Nicodemus Hagiorita eiusque sequaces. Psellus, qui praeter laudationem officium eiusdem concinnavit (19), die 28 novembris illud canendum proponit, quo et nos de Symeone logotheta dicemus.

S. Theodori episcopi Londoniensis et confessoris nomen hodie in sua editione Usuardi inseruit Grevenus, non aliam sane ob causam quam quod eadem die colitur megalomartyr ille cognominis Euchaitensis. Ceterum nullus fuit unquam Theodorus Londoniensis episcopus. Forsan in mente habebat Grevenus Theodorum Cantuariensem episcopum de quo ad d. 19 sept., t. VI, p. 55-82. Quod autem in martyrologio anglico an. 1526 edito factus est ille episcopus Lugdunensis, « bysshop of lyons » (20), id utique vitio dandum est Richardo Whytford translatoris indocto et inepto (21).

F Theodosii Magni memoriam in ecclesia Sanctorum Apostolorum CPolitana die 9 novembris agi consuevisse nonnulla testantur synaxaria (22), alia tamen ad diem sequentem eam reiciunt (23), qua et calendario marmoreo Neapolitano inscripta est. Eius tamen obitus anniversarius dies 17 est ianuarii (24). Notasse iuvat Petrum de Natalibus Theodosium Magnum iis annumerare sanctis quorum certa dies celebritatis ignoratur (XI, 93).

(1) Vid. Officia propria festorum quae in ecclesia Atrebatensi antiquitus solita sunt celebrari (Atrebatii, 1632); cf. Acta SS., Maii t. VI, p. 717, num. 5 et Catal. Lat. Paris., t. III, p. 717. — (2) Ita v. gr. nunc in ipsa dioecesi Atrebatensi. — (3) Cf. Catal. Lat. Paris., t. III, p. 717. — (4) TOMELLI, Historia monasterii Hasnoniensis, c. 18, ed. HOLDER-EGGER in M. G., Scr., t. XIV, p. 158. — (5) Bibl. Regia Bruxellensis, cod. 8936-38, fol. 160-61. — (6) M. G., t. c., p. 146. — (7) Ms. Bibl. Nationalis Parisiensis, Aethiop. 126, fol. 74; cf. H. ZOTENBERG, Catalogue des manuscrits éthiopiens de la Bibliothèque Nationale, p. 162. — (8) Vide, ex. gr., RABANUS LIBA, ed. in Anal. Boll., t. XXVII, pp. 142, 167. — (9) Anal. Boll., t. XLI, p. 186. — (10) Vide supra, p. 6. — (11) Cf. H. DE-

LEHAYE, Les martyrs d'Égypte, in Anal. Boll., t. XLI, pp. 94, 109. — (12) Vide infra inter praetermissos ad d. 10 novembris. — (13) S. BARING-GOULD and J. FISHER, The Lives of the British Saints, t. I, pp. 67-68, 75. — (14) Uti conicimus ex iisdem, t. IV, p. 303. — (15) Cf. Act. SS., Nov. t. III, p. 748 d. — (16) BARING-GOULD and FISHER, t. I, p. 75. — (17) Act. SS., Oct. t. I, p. 196-98. — (18) Op. c., t. IV, p. 296-305. — (19) ALLATIUS, De Symeone scriptis diatriba (Parisiis, 1664), p. 236-44. — (20) Cf. F. PROCTER and E. S. DEWICK, The Martiologie in Englysshe (London, 1893, Bradshaw Society), p. 175. — (21) Cf. ibid., p. XXIII-XXV. — (22) Synax. Eccl. CP., p. 205. — (23) Ibid., p. 210. — (24) SOCRATES, Hist. eccl., V, 26.

A *Haec ille*: Hic in catalogo sanctorum a graecis conscribitur, et confessoris sanctissimi nomine veneratur... apud Mediolanum in pace quievit: cuius corpus eodem anno Constantinopolim translatum est: ubi et miraculis vivit.

Timotheus et Maura tum in *synaxariis* (1) tum in nonnullis *menologiis* (2) hodie occurrunt. Horum Acta edita sunt ad diem 3 maii.

Festum omnium sanctorum episcoporum Tullensium, quod antea die 1 martii agebatur, ad hunc diem 9 novembris repositum est in breviario Tullensi anno 1748-1749 edito (3). Fieri iubetur de his officium primae classis sollemne minus; in cuius quarta lectione (4) aliquot episcoporum nomina proferuntur, qui dicuntur omnes viri sanctitatis nomine venerandi. Sunt autem hi Amon, Alchas, Celsinus et Ursinus, de quibus scripsit V. De Buck ad d. 24 octobris (5); Albinus, quem alii Albaldum, Aladium, Alodium nominant, cuiusque dies videtur esse 1 martii vel 1 februarii (6); Aper ille, de quo C. Suyskenus, ad d. 15 septembris (7); Antimundus et Endulus

B (al. Ausmundus, Hutmundus et Cullanus, Eulalanus, Eululanus, Eudula, de quibus agi poterit, ubi compererimus ipsi et cultum ecclesiasticum, et singularem quandam diem festum esse tributum; Arnulphus tandem qui die 15 novembris colitur (8).

Turgotum episcopum Santandreamum recepit in *Menologium Scolorum* Thomas Dempsterus (9). Qui, uti nervis omnibus erat enisus totumque otium impenderat scriptoribus quam plurimis Scotiae suae asserendis vindicandisque, veremur, ne sua ipsius auctoritate sanctorum quoque Scotiae numerum hoc Turgoto auxerit. Nobis quidem neque de cultu Turgoti episcopi quicquam constiit, neque perspicere contigit, qua de causa hunc potissimum diem emortualem ei Dempsterus elegisset; etenim Turgotum obtisse scribunt alii prid. kal. apr., alii pridie kal. sept. 1115 (10), nemo, quem noverimus, praeter unum Dempsterum, quinto id. nov. Ceterum de Turgoto pauca saltem attigit Papebrochius noster in commentario quem praemisit Vitae S. Margaritae (11), quod Turgotus sanctissimae reginae a confessionibus fuisse traderetur, ipsamque illam eius Vitam conscripsisse. Haec sibi non satis probari testatur Papebrochius; at vero postea, cum nova exemplaria e museorum pul-

vere eruta essent, fere omnes summo consensu in D aliam sententiam se contulerunt. Nullos Turgoto ecclesiasticos honores concessos fuisse persuasum habuerunt decessores nostri (12). Quos cum minime errasse deprehenderimus, neque nos Turgoto in opere nostro locum dabimus, nec quicquam addendum videtur iis quae adducta sunt die 23 octobris.

Tys(s)ilio. Vid. Sulinus.

Victor. Vid. Rogatus.

S. Victorius, ut creditur episcopus Valentinus, Undumeni (quod oppidum nunc prope Valentiam Unda dicitur) ad an. 105 nuntiatur in spurio illo Chronico Flavii Dextri; ad quem locum annotavit Bivarius (P. L., t. XXXI, p. 290) Flavio suo Dextro astipulari episcopum Equilinum, id est Petrum de Natalibus, utpote qui in Catalogo sanctorum, lib. XI, c. ult. num. 313, haec habeat: Victorius episcopus et confessor Unduni quievit V idus novembris. Unde factum est ut a Tamaio in martyrologium hispanicum ad hunc diem reciperetur. Qui pseudo-Dextri verbis tantam fidem habuit, ut non intellexeret hoc loco a Petro de Natalibus laudari, etsi non sine mendis, S. Vitonum Viriduni quiescentem.

Vitonus = Wydo, cuius festum hodie agebatur, nunc colitur die 14 novembris.

Zacharias, qui in calendariis coptico et aethiopico ad hunc diem annuntiatur, Iacobitarum Alexandrinorum patriarcha fuit LXIV^{us} (1004-1032). Cum autem sola ratione dignitatis suae in fastos sanctorum irrepperit, nullo iure huc aditum sibi vindicaret. Quamquam synaxarium Alexandrinum, reboante, ut solet, synaxario habessinico, eum prosequitur elogio plane hagiographico; in quo, et miracula eius praedicantur, et merito extolluntur fortitudo et constantia, cum quibus furorem pertulit saevissimi in christianos soldani Hakem. Res et casus in quibus partem non modicam habuit, multis referunt historici praesertim arabes. Quae autem ad eius vitam proprie pertinent pleraque nota sunt ex historia patriarcharum Alexandrinorum, auctore Severo al-Moqaffa, episcopo Hermopoleos, quae arabice edi coepta est in *Patrologia Orientali* et in *Corpore* scriptorum christianorum Orientalium (13). Donec alterutra ex istis editionibus ad Zachariae historiam pervenerit, si quando id futurum est, vide quae de illo satis erudite iam exposuit Eusebius Renaudot (14).

(1) *Synax. Eccl. CP.*, p. 205. — (2) V. gr. in codice Veneto S. Marci 349, *Anal. Boll.*, t. XXIV, p. 177. — (3) Cf. *Act. SS.*, Oct. t. X, p. 911, num. 7, 8. — (4) Vid. *ibid.*, num. 8. — (5) *Ibid.*, p. 908-915. — (6) Cf. Eug. MARTIN, in *Revue du clergé français*, t. XIII (1898), p. 491. — (7) *Act. SS.*, Sept. t. V, p. 55-79. — (8) Cf. Eug. MARTIN, t. c., p. 492. — (9) Ed. A. P. FORBES, *Kalendars of Scottish Saints* (Edinburgh, 1872), p. 173-230. Turgotum etiam commemorat FERRARIUS, *Catalogus gene-*

ralis sanctorum, pp. 415, 437. — (10) Videtur auctores quos affert G. GRUB, *Ecclesiastical History of Scotland*, t. I (Edinburgh, 1861), p. 209, n. 1. — (11) *Act. SS.*, Iun. t. II, p. 320-21. — (12) *Act. SS.*, Oct. t. X, p. 5-6. — (13) BASSET, *Patrologia Orientalis*, t. III, p. 287-89; FORGET, *Corpus scriptorum christianorum orientalis*, script. arab., textus, ser. 3, t. XXVIII, p. 105-106. — (14) *Historia patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum* (Paris, 1713), p. 386-408.